Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26550
Copyright: Admont, Benediktinerstift

cum dextris in iudicio statuat. et gaudia nobis cum iustis obtineat. Hic spiritu sancto instigatus. vexillo sancte crucis armatus. indiam ad expugnandos demones ingreditur. multusque populus per eum ad dominum convertitur. Ad cuius ingressum. diu gentium demonia obmutescunt. infideles signa et prodigia per eum facta obstupescunt. Idola tam in india destruxit. in nomine ihesu christi ecclesias ubique instruxit. regem indorum cum omni populo ad agnitionem eterni regis adduxit. Unde a fratre regis comprehensus. fustibus mactatur. deinde excoriatur. exinde decollatur. sicque sanguine laureatus. superno senatui associatur. Post hec omnes fautores mortis apostoli. a demonibus arrepti exspiraverunt. reliqui omnes christo domino crediderunt. Huic karissimi clamemus ad altissimum. rogemus eius apostolum. ut eius sancto oramine. gaudia percipiamus in extremo examine. Que oculus non vidit. **De sancto Augustino Capitulum.**

COLLAUDABUNT quinquagesimum primum. multi sapientiam iusti. Non est iustis karissimi. cui hodie sileant preconia sancti augustini. presertim cum ipse dominus omnesque sanctos multis preconiis extulerit. deusque eum inter omnes sanctos idoneum collaudatorem sui transtulerit. Huius sapientiam multi